

Sacerdotem vero potestatem habere clavium, quibus peccatorem solvat ac liget, quia non sit irritum Christi verbum, Quodcunque ligaveritis, etc. De hao vero potestate pugnaciter inter se belligerantur. Alii dicunt, unicam esse clavem in essentia, scilicet potestatem ligandi et solvendi: scientiam ad bonum quidem usum requiri, sed tantum instar accessoriis esse, non essentialiter cohaerere. Alii, quia videbant hanc nimium effrenatam licentiam, duas claves reconsenserunt, discretionem et potestatem. Alii rursus, quum tali moderatione cohiberi sacerdotum improbitatem viderent, alias claves excederunt, auctoritatem discernendam, qua in detinendo uterentur: et potestatem, quam executione suno sententiae exercerent: scientiam accedere velut consiliarium. Istud autem ligare et solvere non audient interpretari simpliciter, peccata remittere et delere: quia Dominum clamantem audiunt apud Prophetam: "Ego sum, et non aliis praeter me: ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, Israel." Sed dicunt Sacerdotis esse, pronuntiarique ligati sint aut soluti, et declarare quorum remissa aut retenta sint peccata: declarare autem, vel per confessionem, quum absolvit, et peccata retinet: vel per sententiam, quum excommunicat, et recipit ad Sacramentorum communionem. Demum, quum intelligent nondum se hoc nodo explicari, quin semper objici possit, indignos saepè ligari et solvi a suis sacerdotibus, qui propterea non ligantur aut solvantur in coelo: quod ultimum refugium est, respondent, collationem clavium cum limitatione accipiendo esse; quod Christus promiserit, apud tribunal suum approbatum iri sacerdotis sententiam, quae juste prolatam fuerit, secundum quod merita ligati aut soluti postulabant. Porro has claves omnibus sacerdotibus a Christo datas esse, quae illis ab Episcopis in promotione conferuntur: sed liberum usum penes eos duntaxat esse, qui muneribus ecclesiasticis funguntur: apud excommunicatos et suspensos manere quidem ipsas claves, sed rubiginosas ac ligatas. Et qui haec dicunt, modesti ac sobrii jure videri possint præ alii, qui sub nova incude novas claves fabricati sunt, quibus thesaurum ecclesiae obserari tradunt: quas postea suo loco excutiemus.

Ad singula paucis respondebo. Tacito autem ad præsens, quo iure quævis injuria fidelium animas suis legibus obstringant: quando id suo loco dispicietur. Quod autem legem imponunt de omnium peccatorum enumeratione: quod peccatum dimitti negant nisi sub conditione, si votum confitendi firmiter conceptum fuerit: quod nullum superesse ingressum Paradisi garriunt, si facultas confitendi neglecta fuerit: istud vero nullo modo ferendum est. Omniaque peccata enumeranda sunt? At David, qui secum probe (ut arbitror) meditatus erat peccatorum confessio-nem, tamen exclamabat. "Erroris quis intelliget? Ab occultis meis munda me, Domine." Et alibi: "Iniquitates meae transierunt super caput meum, et sicut onus grave, gravatae sunt ultra vires meas." Nimirum intelligebat, quanta esset peccatorum nostrorum abyssus, quam multæ scelerum facies, quot capita ferret, et quam longam caudam tra-heret haec hydra. Non ergo ad recensendum catalogum se conferebat: sed e profundo malorum clamabat ad Dominum: "Obrutus sum, sepultus sum et suffocatus: inferorum portas circumdederunt me, immersum alto puteo, deficiente me et moribundum manus tua extrahebas." Quis suorum peccatorum nunc suppitationem cogitet, ubi Davidem videt suorum numerum iniire non posse?

Hac carnificina plus quam crudeliter divexatae sunt eorum animae, qui aliquo Dei sensu affliciebantur. Principio sese vocabant ad calculum, peccata in brachia, in ramos, in ramusculos, in frondes, juxta istorum